



„ternam . . . liquet non esse certum polleantne
„corpora vi motrice, an non.” *Dissert. altera
cosmolog. n. 258. Not. 3.*

II. *Actiōni contraria est reactiō* dum enim corpus A agit in corpus B, hoc illi resistit, resistentia autem opponitur actioni, resistentia est reactio, actioni igitur opponitur reactio adeoque *actiōni contraria est reactiō.*

III. *Reactiō actiōni aequalis est.* In corpus non datur actio, & sine actione non datur reactio; igitur corpus A in tantum agit in corpus B, in quantum hoc illi resistit; secus enim dum corpus ageret in superandam resistentiam, pars aliqua virium sine resistentia impenderetur, ageret igitur pars aliqua virium & non ageret in superandam resistentiam, quae est contradictio; est proinde tanta reactio, quanta est actio: i. e. *reactiō actiōni aequalis est.*

SCHOLION I. Exemplo obvio eandem legem illustrat NEUTON apud P. HORVATH in *diss. cosmol. n. 218.* ”Si equus, *inquit*, lapidem funi alligatum trahit, retrahetur etiam & equus (ut *ita dicam*) in lapidem; nam funis utrinque distentus eodem relaxandi se conatu urget equum versus lapidem, ac lapidem versus equum (unde *si fortuito rumpatur*, partes abruptae versus *utrumque pari vi resiliunt*) tantumque impedit *progressum unius, quantum promovet progressum alterius &c.*

SCHOLION II. Legi huic adversari videtur Argumentum *contraria.*
I. *Quod inter corpus agens & patiens deberet dari aequilibrium.* II. *Quod non possit dari motus, cum*